

ideoq; locum ei non esse dandum inter argumenta incom-  
 plexa. Testimonium, inquit, est nihil aliud quàm senten-  
 tia testans. Respondent quidam sic. Axioma, quatenus con-  
 fertur cum alio, induit rationem argumenti comparati, &  
 sic consideratur ut terminus simplex: neque tamen de illo  
 præcipitur in serie argumentorum. Sic etiam testimoni-  
 um se habet. Sic solent quidam respondere. Sed minùs re-  
 ctè. Hâc enim ratione de axioma, item syllogismo & me-  
 thodo docendum esset inter argumentorum tractationem.  
 Nam si testimonium est axioma, & tamen de illo docetur  
 tanquam de argumento, etiam de axioma in genere do-  
 cendum fuerit in doctrinâ Topicâ. Nos igitur sic respon-  
 demus. Testimonium est argumentum simplex, non mate-  
 rialiter, quatenus spectatur tota sententia, sed notionaliter,  
 quatenus est argumentum simplex, faciens ad explicandum,  
 demonstrandum, & amplificandum. verbi gratiâ, Christus  
 est verus Deus. Quia dicitur *Johan. 1. Et sermo ille erat  
 Deus.* Hoc testimonium probat, non quatenus est integra  
 dispositio axiomatica; sed quatenus consideratur tanquam  
 medius terminus, hoc est, quatenus illi sententiæ accidit, ut  
 possit esse argumentum probans.

nium fit  
 complexū  
 quid?

Testimonium est argumentum assumptum,  
 quod arguit testatum ut suum thema.

Testimonium primò est vel rei, vel personæ.

Testimonium rei est, quod res aliqua perhi-  
 Estq; vel naturale, vel supernaturale. (bet.

Testimonium rei naturale, est vel sensus vel ex-  
 perientiæ naturalis.

Testimonium sensus est, quod sensus dictat.

Estq; vel internum, vel externum.

Internum est, quod dictat lex naturæ, item con-  
 scientia.

Atque hoc testimonium est necessarium & certum, pri-  
 mo, ut loquuntur, certitudinis gradu. Sic testimonio le-  
 gis naturæ & conscientiæ probantur prima principia  
 theoretica & practica, qualia sunt: *Totum est majus sua*